VIRTVTEM
HELLEBORI NIGRI
HIDROGOGAM
NVPERIS ALIQVOT EXEMPLIS

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ERFVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR. SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS MEDICI H. T. DECANO

D. AVGVSTI MDCCLXXXVI.

DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM

LEGITIME CONSECVTVRVS

PVBLICA DISSERTATIONE

CONFIRMAT

CHRISTIANVS GOTTLIEB FRANZ,

WRATISLAVIENSIS SILESIVS.

TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

PROOEMIVM.

In medicamentorum apparatu apud antiquiſſimos medicos, ne HIPPOCRATE quidem excepto, non poſtremo poſitos eſſe loco *helleboros*, nemo medicorum, vt ego arbitror, ignorat. Quotiescunque enim atrociſſimorum morborum vllus incidebat, aliorumque efficaciſſimorum remediorum vim reſpuebat, tunc fere in helleboriſmis ſalutis quaeſita eſt reparatio. Neque huius eſt loci, neque, ſi eſſet, nunc vacat, ampliori expedire ſermone, quaecunque de inſigni hellebororum vſu in variis multiplicibusque humani corporis adfectibus, tam antiquiores,

quam recentiores medici luculenter tradiderunt: quandoquidem non deſunt, in quorum commentariis haec ſingula ex profeſſo expoſita inuenias *a*). Sed quaerenti mihi, quidnam potiſſimum argumenti ad edendam ſolemnem diſſertationem ſeligerem, contigit forte eſſe tam felici, vt aliquot memorabilia exempla hydragogae, quae helleboro nigro ineſt, virtutis ab illuſtri PRAESIDE mecum beneuole communicarentur. Monitus enim hic optimus vir a CAELIO AVRELIANO *b*) et ipſo THEOPHRASTO PARACELSO *c*) de efficacitate hellebori nigri in hydropicis adfectibus fructuoſa, ſi vel ipſa paracenteſis exſpectationi non reſponderit: ſtatuit omnino idem, data opportunitate horum adſertorum veritatem experiri. Quaecunque igitur hac ſuper re per experimenta ſunt comperta atque comprobata, benigno animo nunc accipite, lectores, mihique commentatori fauete.

Prae-

a) Meliores, qui argumentum hoc tractarunt, ſcriptores recenſuit poſt HALLERVM illuſtris IOANNES GOTTLIEB GLEDITSCH in *der vollſtändigen theoretiſch-practiſchen Geſchichte aller in der Arzney u. ſ. w, nützlich befundenen Pflanzen*; I. Band, pag. 1. ſeq.

b) *Tardar, paſſion.* Libr. III. Cap. VIII.

c) In *Herbario*, pag. 68. ſeq. des VII. Theils *der deutſchen Werke*; Baſel, 1590. in 4.

§. I.

Praemonenda quaedam.

Egone vero, cum diſſerere ordior, me in ſubtilem illam diſceptationem immittam, qua, vtrum noſtri *bellebori* cum Hippocraticis aut aliis veterum botanicorum conueniant, nec ne, acriter diſputari ſolet? Minime profecto. Eorum enim haud exiguus eſt numerus, qui hanc rem in quaeſtionem vocarunt, perdifficilem ſane inextricabilemque: quandoquidem, ſi quid certi hic conſtituere velis, vbique contradicentium obſtabunt cateruae *a*). Longe vero gratius exiſtimo fore lectoribus, haud neſcire, quodnam potiſſimum hellebororum, noſtra aetate hoc nomen ferentium, fuerit genus, quo vſus eſt PRAESES. In noſtris tabernis pharmaceuticis non aliud proſtare nigri hellebori genus, quam id, quod *Adonidem vernalem* LINNAEVS vocauit, nemo fere medicorum nunc ignorat. Quanquam autem huius plantae radix fibroſa ſine dubio amplas iſtas efficacitatis laudes, quas antiquiores medici ſuis helleboris tribuerunt, non meretur: tamen et ipſam illam hydragoga virtute non prorſus deſtitui, exemplorum noſtrorum poſtremum luculenter declarabit. Sed

 acci-

a) Confer, verbi cauſa, illuſtrem GLEDITSCH *loc. citat.* et celeberrimum ALBERTVM *de* HALLER in *hiſtor. ſtirp. Heluet. indigen. incboata*; Tom. II. pag. 84. ſeq.

accidit forte fortuna, vt ante quindecim circiter annos vir generoſus, D. *de* ZIETEN, in regis Sardiniae exercitu chiliarcha, fratrem inuiſurus, huc accederet, et ob valetudinem ab itineris moleſtiis vexatam PRAESIDIS noſtri opem expoſceret. Arripuit hanc opportunitatem PRAESES illuſtrem hunc virum verecunde rogandi, velit ipſe, Auguſtam Taurinorum redux, aliquot libras *hellebori nigri*, ibidem in pharmacopoliis proſtantis, huc mittere. Praeſtitit, quae pollicitus erat, vir ſummus, miſitque dictae radicis decem libras, ſimulque, pararia ope viri celeberrimi, CAROLI ALLIONII, plantam integram vna cum flore et radice ſiccatam.

§. II.

Noſtri hellebori character.

Ex transmiſſo hoc exemplari integro accurate cognouit Praeſes, helleborum hunc eſſe eundem, quem illuſtris LINNAEVS *b*), ipſumque ſequentes viri *c*), vel ipſo antiquitus confirmato nomine, *helleborum nigrum* vocant, et *ſcapo ſubbifloro, ſubnudo, foliisque pedatis* deſignant. CASPARO BAVHINO *d)* eſt *helleborus niger, flore roſeo.* In ſyſtemate Linnaeano plantis *polyandris polygynis* adnumeratur. Singulariter autem noſtrae plantae *ſcapus* conſtat rudimento vnius folii, ceterum aphyllus, bifidus; ramis aphyllis, bifloris, bracteatis: *folia* ſunt

b) E. g. in *Syſtemate plantarum*; Part. II. pag. 671. edit. *Reichard.*

c) Videſis citatos a REICHARDO libr. allegat. viros, et quos non nuperorum botanicorum?

d) In *Pinace*, pag. 186.

ſunt omnia radicalia, coriacea, conſiſtentia, et hyeme, vel ſub ipſa niue, perennantia: *flores* verticillatim poſiti, ſub inſolatione albi, in vmbra plerumque rubentes; calyce carent; petala plerumque quinque; nectaria ſunt tubulata, obſubulata, et bilabiata; filamenta ſtaminum petalis duplo breuiora. *Radix* conſtat tuberculis aut nodis fibroſis nigricantibus, in ſimpliciores fibras productis. Odor huius radicis ſatis adhuc recentis eſt acris et nonnihil ingratus; ſapor autem itidem ingratus, acris et leuiter vrens, quodammodo amarus, et ſubadſtringens. Potiores huius plantae icones recenſuit vir clariſſimus, reique boranicae nimis praemature ereptus, IOANNES IACOBVS REICHARD *e*). Adiecta erat huic exemplari ſchedula, in qua relatum legebatur: eſſe hunc helleborum Taurinenſibus pharmacopoliis familiarem, eius tamen locum ſaepe etiam numero occupare alterum illum, quem *viridis* cognomine inſigniuit LINNAEVS. *Adonidis vernalis*, ſiue noſtratis hellebori nigri, characterem botanicum non addimus: partim quod ab inſtituto noſtro diſcrepat; partim quod idem, ſi lubet, ex botanicorum commentariis leui opera repeti poteſt.

§. III.

Analyſis eiusdem chemica.

Quamquam vero per chemica examina *Boulduciana*, *Neumanniana*, *Cartheuſeriana*, *Lewiſiana*, *Bergiana*, aliorumque, quae nunc ſigillatim recenſere non vacat, elementorum proximorum, quibus

e) *Libr.* et *loc. citat.*

bus praeditus eſt helleborus niger; ratio, modus, pondusque ſatis expedita atque definita videntur: tamen, quia partim non vbique de certa huius hellebori, qui examen ſuſtinuit, ſpecie, quam botanici vocant, conſtat *f*); partim vtrum recens fuerit haec radix, an effoeta? non omnino liquet; partim denique ipſe horum auctorum in computandis his elementis diſſenſus dubios reddit lectores; maluit PRAESES noſter in Italica hac radice, quae ſapore et odore recentiorem prodebat effoſſionem, hanc ipſam repetere analyſin. Duplici autem hanc praeſtitit ratione: *hinc* nimirum orſus ab aquoſa extractione, ſubiuncta dein ſpirituoſa, (cui chemico vocabulo veniam rogamus); *illinc* vero ſub initium examinis praemiſſa hac, ſubſequente iſta. Cuilibet analyſi deſtinauit PRAESES duas praedictae radicis libras ponderis ciuilis. Praeter ea monitus iam a CARTHEVSFRO noſter PRAESES de arctiſſimo gummoſae partis cum reſinoſa connubio, quandocunque extractio haec ignis ſubmiſſi ope adiuuatur, circumſpectioris et ad naturam accommodatioris fore conſilii, ratus eſt, ſi primarias extractiones frigidis menſtruis perficeret, ſolius agitationis artificioſae adiumento vſus, quam *Comes de la* GARAIS pridem commendauit *g*). Violentiores, quae igne ſicco, vt dici ſolet, abſoluuntur, analyſes omiſſae ſunt, licet alii chemici in iisdem quoque laborarent: quod partim his modis expedita ſimplicis medicamenti

f) Lege, verbi gratia, quae de BOVLDVCII experimentis monuit HALLERVS in *lib.* et *tom. allegat.* pag. 88.

g) In *Chymie hydraulique*, edit. Pariſiens. 1746. in 12.

menti naturam haud declarant, partim etiam actioni primarum noſtri corporis viarum et contentorum in iisdem liquorum non conueniunt.

§. IV.

Idem argumentum continuatur.

Primo igitur radicis huius tenerrime conciſae et, quoad eius accurate fieri potuit, in puluerem redactae libris duabus in capaciore vaſe adfuſa eſt aqua frigida optimae puritatis atque leuitatis, et, ſuperiniecto commodo operculo, quod transmitteret rudiculam (*Quirl*), huius ope per plures horas conſtanter eſt agitata. Quo facto poſt vnius diei noctisque quietem limpidior portio eſt prouide colata et in alio vaſculo ſeruata. Superſtiti pulti noua aquae portio toties eſt adfuſa, eodemque modo agitata et colata, donec eiusdem et color, et ſapor, non amplius turbaretur aut ſenſum feriret. Tum vero omnes ſingulaeque hae miſturae aquoſae inuicem confuſae leni balnei maris calore in vapores actae, expulſa adeo maiori aquei elementi portione, reliquerunt ſatis ſpiſſi extracti gummoſi, haud mediocriter amari atque nauſeoſi, minus tamen acris, vncias vndecim, drachmam vnam, cum granis quindecim. Vt autem liquido appareret, inhaereatne huic extracto aliquid reſinoſae partis, in mortario lapideo adfudit PRAESES alcoholis vini libram vnam, et piſtillo per aliquot horas probe ſubegit. Elapſo noctis interuallo defuſum eſt prouide alcohol, ſuperſtesque extractum, ſubmiſſo leni igne, denuo ab omni, quae forte reliqua erat, ſpirituoſa por-

 tione

tione liberatum. Explorato dein extracti huius pondere defuerunt viginti duo grana. Ipſum autem, quod diximus, alcohol poſt moderatam in arenae balneo deſtillationem dedit extracti reſinoſi duodeuiginti grana, gummoſae parti antea immiſta. Priori autem iſti reſiduo, quod aqua erat extractum et gummoſa portione orbatum, non ſolum alcohol illud, deſtillando abſtractum, ſed inſuper puri ſimplicisque alcoholis vinoſi duae librae ſunt adfuſae et in arenae balneo digeſtae: vnde color ortus eſt huius liquoris ex bruno flauus, ſapor vero ſubacris et amaricans. Ex quo denuo abſtractum modico igne alcohol reliquit reſinoſi extracti vncias ſex, drachmas duas et fere ſcrupulum. Huic dehinc ſuperinfuſa calida aqua nec colorem mutauit, nec ſaporem.

§. V.
Examinis abſolutio.

Verum enim vero vt de veritate huius proportionis, gummoſam inter et reſinoſam partem a natura conſtitutae, certius conſtaret, denuo eandem praedictae radicis copiam, ſed inuerſo menſtruorum ordine, examini chemico ſubiicere placuit. Ergo duae eiusdem in puluerem redactae librae in cucurbita alcoholis vinoſi tribus libris ſunt perfuſae, aliquotque per dies digeſtioni calidae permiſſae. Enata eſt hinc ſatis ſaturate bruno colore tincta eſſentia; ſic enim chemici vocant: cui, a ſubſidente puluere circumſpecta effuſione ſeparatae, adfuſa eſt ſufficiens aquae frigidae copia, quinque aut ſex circiter librarum.

rum. Inde turbidus factus liquor, poſt quietem aliquot dierum, demiſit ad fundum reſinoſum puluerem, magiſterium vulgo appellant: qui, probe lotus et ſiccatus, fuit ſeptem vnciarum pondo, minus ſeſquidrachma. Ex ſupernatante liquore, qui ex flauo vireſcentem colorem prodebat, abſtracto prius, vt artis eſt, alcohole, et omni reliqua aqua in maris balneo in vapores diſpulſa, relictum eſt, quod cum reſinoſa parte cohaeſerat, extractum gummoſum, pondere ad quinque drachmas, duo ſcrupulos, et ſeptem grana accedens, amarum quidem, ſed reſinoſo minus acre atque nauſeoſum. Maſſam pulueris a priori extractione ſuperſtitem perfudit PRAESES quatuor libris aquae puriſſimae, et aliquot dierum ſpatio leniter digeſſit. Colatus dein et per linteum expreſſus liquor, poſtquam per quietem diei atque noctis craſſiores depoſuerat particulas, et in maris balneo, vi ignis, omnes aqueas amiſerat particulas, reliquit gummoſi extracti vncias decem cum duobus ſcrupulis. Ex quo igitur vtroque examine haud difficulter colligi poteſt, in radice noſtri hellebori ſatis adhuc recenti circiter deprehendi gummoſae partis tres octauas *h*), reſinoſae vero tres decimas quartas *i*) portiones.

§. VI.

Vires eiusdem medicae.

Omnium, qui vnquam vixerunt, medicorum conſenſu ſingula helleborum genera, adeoque

h) Aut exactius $\frac{11}{32}$ partes.

i) Rectius $\frac{27}{128}$ partes.

etiam noſtrum, ad efficaciſſimorum remediorum purgantium, quae draſtica Graeci vocant, numerum eſſe relata, ex omnibus materiae medicae ſcriptoribus luculentiſſime conſtat: qui quoque rationes huius actionis, qua, vi irritamenti ſui, innatam inteſtinis irritabilem naturam augent, eorundemque motum periſtalticum incitant, adfluxum humorum ad organorum colatoriorum varii generis, hic ſitorum, oſcula inuitant, eoque modo, quidquid in alimentarium tubum deponitur, educunt aut interdum maiori impetu eiiciunt expelluntque, accuratius ſunt perſecuti *k*). Inprimis vero, vt ad ſingularia tranſeamus, de helleboro noſtro per experimenta compertum eſt, magnam atque excellentem ipſi ineſſe virtutem in plurimis morbis diuturnis: qui, vt tollantur, ſpiſſioris ſanguinis aut aliorum quorumlibet lentorum humorum liquationem atque ſolutionem, eorundemque commodam et ſucceſſiuam abſterſionem atque eductionem requirunt. Vnde mirari noli, ſi omnibus fere temporibus noſtrae aut alius eodem ex genere radicis vſus in mania, melancholia, febribus quartanis rebellibus, cachexia, apoplexia pituitoſa, ſcabie, colluuie inteſtinorum verminoſa, haemorrhoidibus catameniisque ſubſiſtentibus aut male ordinatis, viſcerumque abdominalium infarctibus, ſemper, niſi complicata alia mala obſtiterint, fuit commendatiſſimus. Verum enim vero quoniam ſingulariter, vti quoque experientiae teſtimonio clariſſime eſt comprobatum, in

k) Videſis ſcriptores omnes ſinguloſque ab HALLERO et GLEDITSCHIO *libr.* et *loc. citat.* allegatos.

in reſinoſa noſtri hellebori parte plus reſidet virtutis catharticae, diureticae autem plus in gummoſa *l*); facile hinc apparet, quandocunque in humano corpore lymphae per ſuos canales itinera tardantur aut impediuntur, ſicuti hydropicis accidere ſolet, duplicem medicamenti noſtri fore dotem; alteram, quae hydropicorum aquas, ad inteſtinorum cola inuitatas, hinc educat; alteram vero, quae easdem, ad renalia vaſa depoſitas, vna cum lotio foras emittat. Quotusquisque igitur erit, qui, ſi haec expenderit, *hydragogam* virtutem, quam in huius commentarioli inſcriptione adſeruimus, helleboro noſtro abiudicare audeat?

§. VII.

Adhibendae eiusdem modus.

Sed, dum aegris hanc radicem exhibituri ſumus, permagni omnino refert, accurate noſſe, quanam doſi, aut qua forma optime dari poſſit? Integram radicem in pulueris forma nemo facile, niſi temerarius et audax, aegrotis propinat. Contra frequentior eſt vſus, ſi aut in infuſis vinoſis temperatisque decoctis praeſcribitur, aut, ſub extractorum forma, pilulas et elixiria ingreditur. Omnia reliqua hinc parata medicamenta, verbi cauſſa, oxymel helleboratum, ſyrupus pomorum helleboratus, tinctura melampodii Bateana, tinctura hellebori compoſita Würtenbergica, et tinctura martis helleborata WEDELII certe ſunt aliena. Ergo, ſi ad

 adhi-

l) Confer illuſtris IO. FRIDER. CARTHEVSERI *Fundamenta mater. med.* Tom. I. pag. 568.

adhibendam hanc radicem animum applicas, expendere omnino te oportet, vtrum aegroti conditio efficacem cum diureſi catharſin poſtulet, an ſolam diureſin, cum lenta lentorum humorum reſolutione coniungendam? Quod ſi prius inſtitueris, opportuniſſima erit infuſi decoctiue forma: ſiue vinum eidem ſelegeris, ſiue aquam. Haec, quippe reſinoſo extracto pauperior, erit mitioris virtutis: illud, eodem extracto paullo ditius, efficacitate praeualebit. Intererit quoque plurimum, calidane fiat infuſio, an frigida? Prior, iisdem ex rationibus, efficacior erit poſteriori. Doſis fibrarum huius radicis ſelectarum et conciſarum, in ſingulos dies deſtinata, eſſe poteſt pro parando decocto vnius drachmae; pro infuſo vinoſo frigido eiusdem ponderis; pro aquoſo, eodemque frigido, quatuor ſcrupulorum aut ſeſquidrachmae, eodem vero calido, tantummodo drachmae. Generatim denique monemus lectores, frigidas infuſiones calidis eſſe praeferendas, quotiescunque medici eſt ſcopus, pedetentim agere et infartos obſtructosque viſcidis humoribus canales denuo expedire. Sed videbis forte doſes a nobis conſtitutas non conuenire cum iis, quas celeberrimi viri, CARTHEVSERVS *m*), GLEDITSCHIVS *n*), LOESECKE *o*), aliique definierunt. Rationes diuerſi huius conſilii partim ex experimentis optimi PRAESIDIS deſumſimus, partim ex analyſi chemica ſupra deſcripta.

§. VIII.

m) *Ibidem.*

n) In *libr.* et *tom. citat.* pag. 28.

o) In *der Materia medica*, pag. 125. edit. *Gmelin.*

§. VIII.

Idem argumentum.

Quod ſi vero poſterior, quem attigimus paullo antea, finis, lenta nimirum per diureſin humorum ſpiſſorum atque tenacium reſolutio, tibi curae magis eſt cordique, extractorum omnino vſus debet eſſe commendatior. Noli vero *reſinoſum* ſeligere extractum: quippe quod inteſtinorum parietes iuſto acrius irritat, tormina efficit, et facile hypercatharſes producit. Poterit tamen vſui eſſe externo, ſi, alcohole ſolutum, carie infectis oſſibus, exfoliationis, quam chirurgi vocant, promouendae cauſſa, bis per diem illinatur. Aptius vero ad iſtum finem obtinendum haberi poteſt *gummoſum* extractum, in diureſi mouenda atque cienda magis conſpicuum: vti iam ſuo diximus loco. Haud inopportune ſingulis diebus, bis terue, grana quinque ad octo decemue aegrotis propinantur. Pilularum formam non reſpuit hoc extractum, ſiue ſolum, ſiue aliis reſoluentibus ſit admiſtum. Sed facile etiam in elixirii formam redigi poteſt, ſi in aqua quadam ſtillatitia, vino, liquoribus ſalinis mediis, et ceteris, ſoluitur. Commodiſſime in vnica menſtrui vncia ſolui poteſt extracti gummoſi drachma: vnde facile intelligitur, huiusmodi elixirii doſin quamlibet eſſe poſſe guttularum centum; quae blanda operatione maxime ſe commendat aegrotis, teſte optimi PRAESIDIS experientia. Antequam hanc dimittimus materiem, monitos volumus lectores, ſpurii noſtratis hellebori, ſiue *Adonidis vernalis*, doſes eadem fere

ra-

ratione et copia eſſe ordinandas: ſiue infuſa velis aut decocta, ſiue elixiria pilulasque. Sed tempus eſt, ad ſingularia, quorum recenſionem ſupra polliciti ſumus, exempla progrediendi, hydragogam noſtri remedii virtutem, in hydropicis adfectibus praeſtitam, locupletiſſime declaratura.

§. IX.

Primi exempli recenſio.

Peropportune acciderat, vt eodem ipſo tempore, quo illuſtris PRAESES verum helleborum nigrum ex Italia accepit, ipſius curam opemque imploraret ciuis huius vrbis, et curatorum cenſus regii e victu a ſeruitiis (*Acciſe-Caſſen-Diener*), nomine *Daehnert:* qui iam diu, ob vitam quotidie in tabernis vinariis actam, hydrope aſcite laborans, a priori medico per plurium hecdomadum decurſum variis multiplicibusque medicamentis in caſſum tentatus, et nunc ſuo fato permiſſus erat. Erat ceteroquin homo procerus, et ante huius morbi acceſſionem robuſtus atque lacertoſus, atque tunc temporis quinquaginta circiter annos natus. Tantum autem increuerat aquarum hydropicarum collectio, vt aeger non, niſi erectus et ſedens, reſpirare poſſet, et difficillime magnisque cum cruciatibus mingeret: quandoquidem totum abdomem cum cruribus ad diſruptionem fere intumuerat, delapſa ſimul in ſcrotum et penis integumentum aqua; vnde hic figuram acquiſiuerat incuruatam et velut ſigmoideam, enormemque ſimul magnitudinem. Neque aluus ſuo officio ſatis faciebat, niſi medicamentis

inci-

incitata. Nox inquieta, et intenſiori ardore febrili ſomnus diſpulſus. Sitis plerumque magna. Arteriarum pulſus celer, ſed vix tactui manifeſtus. Atque hic fuit aegrotantis ſtatus, cum PRAESES eundem inuiſeret. Qui tametſi, parum ſpei de reddenda huic viro ſanitate tuendaque vita ſupereſſe, optime intelligeret: noluit tamen ei deeſſe, qui, non ſine magna fiducia atque exſpectatione, ipſius fidei ſe commiſerat. Ergo ſollicite ſecum reputauit PRAESES, quibusnam remediis res optime agi, periculumque medelae ordinandae fieri poſſet. Cum nunc ad manus eſſet recens et genuinus helleborus, quid in rebelli hoc atque atroci malo efficere poſſet, periculum eſt factum. Proinde ſeſcunciae fibrarum huius redicis conciſarum adfuſae ſunt vini Rhenani duae librae, et in vitro optime obturato ſeruatae, atque in cellam ſepoſitae. Dein ter quaterue quotidie per ſemihoram agitatum eſt vitrum, vt adeo extractio adiuuaretur. Peracto ſex dierum ſpatio colatum eſt vinum et ex reſiduo expreſſum. Huius vini duas cum dimidia vncias ſingulis diebus per interualla adſumſit aeger: a quo hauſtu ſub initium quantulamcunqne ſenſit nauſeam, ſenſim ſubſecutis diebus prorſus euaneſcentem. Ventris tormina nunquam hoc ab vſu expertus eſt aegrotus; licet ſexies ſeptiesque per diem aluus laxaretur, fecibus plerumque liquidis et mucoſis eiectis. Ineunte tertia hebdomade detumeſcere coepit ſcrotum cum praeputio, liberiorique effluxu exiit lotium. Sub huius hebdomadis finem paullo parcius, ter circiter quouis die,

 expe-

expedita eſt aluus, vrinae vero viae largiori effluxui patuerunt: quippe haud raro lotii octo decemque librae, ſine vllo aegrotantis incommodo, ſunt emisſae. Inter haec ſenſim detumuerunt abdomen et crura, ſomnusque rediit placidus et ſub ipſo decliui decubitu quietus, reſpiratioque non amplius moleſta ſublatorum in abdomine obſtaculorum fuit teſtis. Septima hebdomade ſenſim imminuta eſt adſumendi huius vini hellebori doſis: adeo, vt nona hebdomade vix vnciam biberet aegrotus. Exeunte demum decima hebdomade, poſtquam helleborum biberat, laetus ſanusque hic vir ad officium ſuum rediit, multis annis poſt ſubitanea morte exſtinctus. Conſulto non vlla alia medicina hic vſus eſt PRAESES: quod videret ipſe, ſolum helleborum hic ſatisfacere exſpectationi.

§. X.

Alterum exemplum.

Vix autem altero anno poſt aliud PRAESIDI noſtro oblatum eſt exemplum, vnde hydragogae hellebori nigri vires cognoſcerentur. Nempe in vicina Luſatia, ad tertium hinc lapidem habitans molitoris cuiusdam vxor, quadragenaria, corporis ceteroqui tenerioris, et octo liberorum mater, in quartanam inciderat febrem: cui, ſed aerumnoſo euentu, conſultus quidam agyrta liquorem quendam arſenicalem, accedente paroxyſmo intus ſumendum, temerario oppoſuit auſu. Euanuit febris: ſed non ita

ita multo poſt ſucceſſerunt grauiſſimi praecordiorum angores, cardialgiae vomitionibus interceptae, pertinaces alui conſtipationes, tandemque etiam vrinae menſiumque ſuppreſſiones. Inter haec in tantum ambitum extumuit abdomen, fluctuante intrinſecus aqua, vt diruptionem minaretur. Mox etiam inferiores artus turgidi ſunt facti, tabeſcentibus ſuperioribus. Fruſtra conſulti ſunt peritiſſimi medicorum Gubenenſium et Lübbenenſium. Medio demum Septembri iſtius anni noſter quoque PRAESES in conſilium eſt vocatus. Morbi conditio videbatur omnino deperdita: nam, praeter dicta ſymptomata, nunquam quoque deficiebat lenta febris. In ancipiti ergo hoc ſtatu animum conuertit PRAESES ad helleborum, cuius hydragogam vim nupero iſto exemplo iam expertus erat. Eo conſilio ſoluit extracti illius gummoſi, quod ſupra deſcripſimus, vnciam in aquae florum chamaemeli octo vnciis, vt elixirii forma exinde naſceretur. Orſus a modica doſi ſexaginta guttularum, ter per diem data, ſenſim frequentius eandem exhibuit; ita, vt tandem ſexies quotidie eadem repeteretur. Donec extremo tempore, cum grauis hic morbus iam manifeſtum conciperet decrementum, ob vires nondum ſatis firmates, corticis Peruuiani extractum aquoſum aequali additum eſt pondere, et cum helleborino extracto coniunctum, et in duplo maiori praedictae aquae copia ſolutum. Tum vero bis tantummodo in die huius elixirii doſin, cochleari conſueto definitam, adſumſit aegrota. Quae hic euenerunt, ſunt ſe-

 quen-

quentia. Prioribus duodecim diebus hoc ſub vſu nulla nec morbi, nec ſymptomatum, mutatio eſt animaduerſa, ſed decimo tertio die aluus promtius ſolui coepit, et ſubſequentibus quoque diebus eodem in officio perrexit. Inde ſenſim deferbuit febris lenta, vomitionesque cum cardialgiis remiſerunt. Tertia circiter hebdomade ſuperuenit inſuper larga diureſis: quae pedetentim hydropicas exhauſit aquas, detumeſcentibus inter haec abdomine et cruribus. Haec vndecim hebdomodum interuallo ſunt acta. Per illud tempus non opinanti aegrotae, quae iam ſubinde floris albi vterini veſtigia ſenſerat, catamenia denuo ſunt reſtituta, ſpemque perfectae valetudinis recuperandae fecerunt. Quoniam vero, propter nondum ſatis collectas corporis vires ventriculus nouas denuo conciperet cruditates, circa idem tempus Peruuianus cortex, vt diximus, eſt adiunctus: a quo etiam aegra abſolute conualuit, et etiamnum belle valet.

§. XI.

Poſtremi exempli hiſtoria.

Sed liceat nobis antea, quam beneuolos dimittimus lectores, nuperrimum quoddam adiicere exemplum: quo etiam *Adonidi vernali*, quae ſub commentitio hellebori nigri nomine in tabernis pharmacenticis proſtat, ſua laus eſt reſeruata. Honeſtiſſima matrona, octo ſupra quinquaginta annos nata, ſatis obeſa, ceterum hilaris animi, et ciborum

rum bene appetens, ſubito, poſtquam ſororem iuniorem ex hydrope amiſerat, in eundem incidit: licet occultiores huius mali cauſſae, ſaccatus nimirum ouarii dextri hydrops, iam pridem deliteſcerent, et nunc demum manifeſtiora caperent incrementa. Primo ineuntis morbi tempore ſola pedum oedemata accedebant; quae, mox ingraueſcente malo, tumorem enormem hydropicum fere per vniuerſum corpus diſperſerunt; ita tamen, vt in regione hypogaſtrica dextra ſingularis quidam velut pendulus ſaccus, aqua fluctuante plenus, promineret. Cum conſilium PRAESIDIS noſtri requireretur, magnum iam ceperat hic morbus incrementum: noctes erant inquietae, reſpiratio anxia, diureſes parcae, aluus ſicca et rarius expedita, arteriarum ictus parui debilesque, non tamem febriles. Praeſcriptae ſunt *pilulae hydragogae* IANINI *p*): ſed irrito effectu, licet per integrum trimeſtre adhiberentur. Memor igitur PRAESES laudabilium eorum euentuum, qui olim hellebori nigri vſum erant inſecuti, ſtatuit nunc, cum veri iſtius hellebori apparatus iam pridem eſſet conſumtus, experiri, quantum virium hydragogarum ab *Adonide vernali* exſpectare poſſent medentes. Verum enim vero quod efficacitati huius radicis non tantum tribueret,

 quan-

p) Cum omnino admodum inconcinna ſit formula, abſtinuiſſet profecto ab harum pilularum vſu Praeſes; niſi multorum praeſtantiſſimorum medicorum experimenta ipſarum optimos effectus eſſent teſtata. Confer v. c. illuſtris viri, CHRISTIANI GOTTLIEB SELLE *Medicin. clinic.* pag. 652. ſeq.

quantum veri hellebori, conſultius fore, ratus eſt, ſi alia reſoluentia et cathartica adiungerentur. Ergo ſequenti vſus eſt formula: Rec. Gumm. ammoniaci depurati, extract. helen. aa drachmam vnam; extr. hellebori nigri, ſapon. Venet. aa drachm. duas; gumm. Gutt. ſcrupulum vnum: m. f. pilul. pond. gran. duorum; D. S. mane, hora poſt meridiem quarta, et veſperi, duodecim pilulae quotidie deglutiendae. Hac methodo effectum eſt, vt poſt duo menſes tumor vbique decreſceret, relicto ſolo iſto ſacculo hypogaſtrico, ſed vacuo, nec aquis fluctuantibus pleno. Nec recruduit hoc malum, exacto iam fere ſemeſtri. Ad haec etiam memorare nos oportet, altera iam hebdomade, cum poſteriores hae pilulae in vſum darentur, veſtigia haemorrhoidalis profluuii apparauiſſe: quod ante hoc tempus nunquam experta erat aegrota. Paullo poſt, interiectis nimirum duodeuiginti diebus, locupletius manarunt haemorrhoides, per integram circiter hebdomadem. Eo ex tempore, ſingulis fere menſibus, rediit hic fluxus, et plerumque per aliquot dies durauit. Cum elapſis iſtis duobus, quos diximus, menſibus prorſus detumuerat abdomen, per quatuor adhuc hebdomadum ſpatium quotidie ſemel tantummodo harum pilularum doſin adſumſit aegrota: vt ſaltem naturae in haemorrhoidalibus moliminibus ſubueniret. Ceterum, ab initio ſola haec molimina adfectus hydropici cauſam fuiſſe, haud exiſtimamus: vt potius iſta, tanquam effectus diſtentorum a collecta lympha vaſorum lymphaticorum

corum et inde congeſti in abdomine ſanguinis, in reditu per ſuas venas retardati, merito conſideremus. Haec ſunt, quae cum lectoribus communicare volui; laetus futurus, ſi non male locaſſe operam fuero viſus.

EMENDANDA.

In *titulo*, l. 3. hidrogogam *l.* hydragogam.
Pag. 8. l. 18. Cartheusfro *l.* Cartheuſero.